



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Tit. IV. De Ferijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

nis Duplicis tantum celebratur, nisi sit Cathedralis Ecclesia, tunc enim in Diœcesi etiam sub ritu primæ Classis celebranda erit, sed sine Octava, ut teste Gavanto f. 8. c. 5. n. 5. Congregatio 2. Maij 1619. decrevit. Unde si occurrant hæ Dedicationses, Dedicatio propriæ Ecclesiæ celebrari, & Dedicatio alienæ, etiam Cathedralis transferri debet juxta Romanam decis. 616. n. 1. Regulares tamen non obligantur (nisi fortè ex decentia) ad Cathedralis Ecclesiæ Dedicacionem celebrandam.

III. Si concurrant vel occurrant plurium Dedicacionum Festa, vel Octavæ earundem, pro varietate Orationum sumi poterit ea, quæ ipsi diei Dedicacionis seu Consecrationis convenit, uti juxta Gavantum in postrema Breviarum recognitione additum fuit.

§. IV.

De Feriis.

I. **F**eria est dies quædam certa cujusque hebdomadæ; cum enim Fideles horrerent dies hebdomadæ à Gentilibus Dijs nominare, nomen Feriæ substituerunt, & ipsam quidem Dominicam, primam Feriam, & sic reliquas secundam, tertiam &c. nominârunt, solo Sabbati nomine retento, quòd nihil Gentile sonabat. Vocârunt autem Ferias, ut innuerent, Clericos utpote in sortem DEI vocatos, ab alijs laboribus & operibus vacare, totòsque Ecclesiasticis Officijs, & DEI obsequio tradere se debere.

II. Dividuntur in Majores & Minores, quarum differentia est, quòd de Majoribus quocunque Festo occurrente (quam ob causam & Majores dicuntur) non item de Minoribus commemoratio fieri debeat, quod ideo ab Ecclesiis constitutum existimo, ut majorem nobis Adventus, Quadragesimæ, & Quatuor Temporum reverentiam & pietatem generaret.

§. V.

De Vigiliis.

I. **V**igiliæ à vigilando dictæ sunt, eò quòd olim Christiani ante Festa Sanctorum vigilare, & Orationibus